



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE  
**BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ  
دار الصحافة التابعة للكرسى الرسولى BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ

N. 0486

Sabato 04.10.2003

**LETTERA DEL SANTO PADRE AL LEGATO PONTIFICO PER LA SOLENNE CELEBRAZIONE  
DEL 700° ANNIVERSARIO DELLA MORTE DI PAPA BONIFACIO VIII (ANAGNI, 12 OTTOBRE  
2003)**

LETTERA DEL SANTO PADRE AL LEGATO PONTIFICO PER LA SOLENNE CELEBRAZIONE DEL 700°  
ANNIVERSARIO DELLA MORTE DI PAPA BONIFACIO VIII (ANAGNI, 12 OTTOBRE 2003)

In data 9 agosto 2003, il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato l'Em.mo Card. Angelo Sodano, Segretario di Stato, Legato Pontificio per la solenne celebrazione del 700° anniversario della morte di Papa Bonifacio VIII, che avrà luogo nella Cattedrale di Anagni domenica 12 ottobre 2003.

L'Em.mo Card. Angelo Sodano sarà accompagnato da una Missione composta da:

- Rev.do Mons. Angelo Pilozzi, Vicario Generale della diocesi di Anagni-Alatri;
- Rev.do Mons. Piero Pioppo, Consigliere di Nunziatura in servizio presso la Segreteria di Stato.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre al Legato Pontificio ad Anagni:

**• LETTERA DEL SANTO PADRE**

Venerabili Fratri Nostro

**ANGELO S.R.E. Cardinali SODANO**

Secretario Status

Tres ante annos magno gaudio et stupore iubilarem misericordiam flagitantes hominum admodum varios ordines conspeximus. Etenim insignis fuit iubilaris haec congressio, in qua tot homines, undique gentium oriundi, renovato fervore ad Christi lucem pro se de primigenio Dei proposito hauriendam venerunt (cfr *Novo millennio ineunte*, 10). Eodem vero tempore, ob tantos Magni Iubilaei spiritales fructus gratias Deo referentes, simul cogitationem Nostram ad illum Summum Pontificem vertimus, qui divinitus inspiratus primus hanc iubilarem

gratiam et consuetudinem incohavit, id est Bonifacium VIII. Cum ergo huius Decessoris Nostri proxime tristis memoretur contumelia et decessus, quae ante septem saecula est perpessus, congruum Nobis videtur personam eius et merita hac data occasione iterum in mentem revocare.

Quamobrem libentes sane accepimus invitationem Venerabilis Fratris Laurentii Loppa, Episcopi dioecesis Anagninae-Alatrinae, ad septingentesimam anniversariam memoriam huius eventus celebrandam. Cum autem Anagniam, patriam scilicet urbem eiusdem Decessoris Nostri, illo die Ipsimet accedere non possimus, volumus tibi, Venerabilis Frater Noster, qui tot annos magna fidelitate et sollertia Romani Pontificis universalisque Catholicae Ecclesiae negotia geris, hanc legationem debita dignitate explendam summa cum fiducia committere.

Quapropter harum Litterarum vi te destinamus **Legatum Nostrum** ad faustam celebrationem quae Anagniae die XII proximi mensis Octobris fiet, DCC expletis annis ab obitu Summi Pontificis Bonifacii VIII. Nostras igitur vices ages, sollemnibus praesidebis ritibus, Nostram adstantibus significabis salutationem, Nostram praecipuam ostendes benevolentiam in venerandam Ecclesiam et urbem Anagninam, quam Ipsi pluries invisimus, Nostramque illic per spiritum praesentiam.

Breviter saltem, prout sane condecet, recordaberis magna huius Pontificis opera, qui iam antea diligenter inservierat veluti secretarius tribus Pontificibus, in orbe mediator fuerat pacis et iustitiae, Ecclesiae leges bene ordinaverat et defenderat, Studiorum Universitatem "Sapientiam", ut aiunt, Romae instituit, ac denique anno MCCC primum incohavit Salvatoris nostri Incarnationis Iubilaeum, ingenti cum fidelium in Romanam urbem concursu spiritualique profectu.

Benedictionem denique Apostolicam, divinae gratiae auspiciem atque propensae Nostrae voluntatis testem, tibi in primis impertimus, Venerabilis Frater Noster, quam Anagninae-Alatrinae dilectae Ecclesiae Episcopo, cunctis sacerdotibus, religiosis viris et mulieribus omnibusque sanctorum rituum participibus nomine Nostro peramanter largiaris volumus.

Ex Arce Gandolfi, die XVIII mensis Septembris, anno MMIII, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.

IOANNES PAULUS II

[01525-07.02] [Testo originale: Latino]

---